



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De Antichristo. tit. 283

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

26. An schismatico etiam prosit sua patientia, quā patitur à Iudeis & tyrānis, id est, tribulationes, fames, nuditas, vincula, tormenta, gladius, flammę, & id genus alia, nè Christum neget. Non enim dicere possumus, quōd melius ei fuisset, vt Christum negando nihil horum pateretur. At etiam dicit Apostolus 1. Cor. 13. si tradidero corpus meū ità vt ardeam, nihil profest. Respondeo, nihil profest ad regnum cœlorum obtinendum, profest tamen ad extremi iudicij supplicium tolerabiliū subeundum Sic Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio, quām Corozaim & Beth-saidæ, & Sodomis remissius erit, quām tibi Caphernaum, Matth. 11. Sic non erit omnino vana patientia hæreticorum. Et capite 27. Sunt quædam dona Dei, quæ solūm hæredibus regni conferuntur, vt remissio peccatorum, Spiritus sanctus, salus æterna. Hæc enim cohæredibus Christi donantur, Roman. 8. Sunt alia dona varia, sanitas, diuitiae, honores, fortuna, scientia, sapientia, fortitudo, patientia, castitas, longanimitas, & cæt. Hæc etiam gentes dona habuisse certum est. Habuit Aristoteles iustitiam, Plato amorē diuinitatis, Cicero eloquentiā, &c. Sic Abraham dedit filio suo Isaac omnē censem, id est, hereditatem, filijs verò, concubinarum, dedit munera, & diuisit eos ab Isaac filio suo. Sic alia sunt dona hæredum, alia ex hæredatorum &c. Nostra autem patientia in uirtute Ecclesiæ efficax est, &c.

DE ANTICHRISTO.

TITVLVS CCLXXXIII.



Rimò, Antichristus sic dicitur, qā Christo in cūctis contrarius erit & contraria faciet. Christus venit humilis: ille veniet superbus. Christus venit humiles erigere, peccatores iustificare: ecōtrà, ille humiles deiiciet, & peccatores magnificabit, semper vitia

vitia quę sunt virtutibus contraria, docebit: Hic mul-
tos habet suę malignitatis ministros, ex quibus mul-
ti in mūdo præcesserūt eū, qualis fuit Antiochus, Ne-
ro, Domitianus, &cæt. Arrius, Donatus, Vugleff, sicut
ut dicit Ioannes 1. Ioann. 2. Antichristus iam venit, &
multi sunt Antichristi. Nam vt dicit Augustin. Qui
cunque enim siue laicus, siue canonicus, aut mona-
chus, qui contra iustitiam viuit, & quod bonum est,
blasphemat: Antichristus est, minister satana est.

Secundò, nascetur Antichristus ex populo Iudeo-
rum, de tribu Dan, secundūm prophetam Genes. 49.
Fiat Dan coluber in via, &cæt. sicut serpens enim in
via sedebit, vt eos, qui per semitam iustitiae ambu-
lant, feriat, & veneno suaę malitiae occidat: ita faciet
Antichristus. Secundò, initio conceptionis sua si-
mul introibit cum semine in uterum matris diabo-
lus, & illius virtute confouebitur, & virtus diaboli,
semper erit cum illo. Nam sicut spiritus sanctus ve-
nit & adumbravit virginem, vt quod nasceretur, san-
ctum ac diuinū esset, sicut dixit Angelus Luc. 1. &cæt.
sic totum malum initium erit in conceptione Anti-
christi. Ideo & filius perditionis appellatur à Paulo 2.
Thess. 2. quia quantum in eo est, totū genus huma-
num volet perdere, & ipse in nouissimo perdetur.

Tertiò, nascetur in ciuitate Babylonica, & nutrie-
tur & versabitur in ciuitatibus Bethsaida & Coroz-
im, Matt. 11. quibus vae prædixit Christus, quod eum
contempserunt, &c. Quartò, habebit multos adhæso-
res, magos, incantatores, &cætera. Illi prædicatione
iuuabunt illum, & venier Hierosolymam & omnes
Christianos, qui eum nolunt recipere, trucidabit &
occidet, subinde accedit ad alia loca, maximè vbi
Christus prædicauit & ambulauit, & magna faciet
miracula & inaudita, id est, arborem citò in momen-
to florere, & iterum arefere, mare turbari, & ite-
tum in puncto tranquillari, naturales res in diuersas
figuras

figuras mutabit, id est, quasi lapides viuant, moriantur, &cæt. Mittet quoque discipulos suos in quatuor partes mundi, & nominabit se Deum, & omnia miracula faciet operatione sathanæ, sicut Magi contra Moysen fecerunt in Aegypto, Exo. 7.

Tertiò, tribus modis se eriget contra fideles, terore, muneribus, & miraculis: ijs decipiet sic, quod etiam electi seducantur, si fieri possit Mat. 24. & tunc iuxta verba Christi, erit tribulatio, qualis non fuerit ab initio mundi. Tunc qui in agro sunt, ad montes confugient, & tunc omnia consummabuntur prædicta à Christo, Matth. 24. Luc. 21. Hæc autem persecutio durabit tribus annis cum dimidio. Nam abbreviabitur tempus eius propter electos, Matt. 24. Tertiò, de tempore aduentus Antichristi dicit Apostolus 2. Thessal. 2. quod quandò venerit discessio, scilicet à Romano imperio. Sicut enim Romanum imperium omnia regna sibi habebat subiecta tempore Augusti, Luce 2. sic omnia erunt sibi rebellia, & tunc veniet Antichristus. sic fides Romana & imperium Romanum deficiet, & Antichristus solus regnabit, & extolleretur supra omne regnum, & quod dicitur Deus. Nā ipse solus sedebit in templo tanquam sit Deus. Tunc multi decipientur. Mittentur autem tunc duo Prophetæ, qui prædicabunt contra illum tribus annis cum dimidio, & multi adhærebunt, sed tandem excedens persecutio Antichristi, & interficiet illos duos prophetas, deinde ceteros fideles, qui non habuerint characterem eius. Ad ultimum veniet Christus, & interficiet illum spiritu (id est, virtute) oris sui, sicut virtute oris sui & vocis è sepulcris surgent mortui, Ioann. 5. & sic erit finis sæculi. hæc Augustinus de Antichristo.

MOTIVA AD PATIENTIAM.

RRr

TITV-